

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 8472

**Auteur(s)** : Robert de Saint-Rémy [particulier]

**Bénéficiaire(s)** : Jean, Aunay-sur-Odon, Notre-Dame d'Aunay (abbé)

**Bénéficiaire(s)** : Aunay-sur-Odon, Notre-Dame d'Aunay (abbaye)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : [1170-1201]

**Action juridique** : confirmation

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Robert de Saint-Rémy confirme aux moines de Notre-Dame d'Aunay[-sur-Odon] les donations faites par son père à La Boulaye et à Fresney.

## Tableau de la tradition

### Original

A. Caen, Arch. dép. Calvados, H727.

### Éditions principales

a. Le Hardy Gaston, *Étude sur la baronnie et l'abbaye d'Aunay-sur-Odon*, Caen, H. Delesques, 1897, Pièces, n° 16, p. 282-283.

## Dissertation critique

Transcription : Tamiko Fournier-Fujimoto

Jean, abbé d'Aunay, après 1170 – avant 1201.

Cet acte est confirmé par Henri II, évêque de Bayeux : SCRIPTA 9636.

Texte d'après A

Notum sit presentibus et futuris quod ego Robertus de Sancto Remigio concessi Deo et abbacie Sancte Marie de Alneto et monachis ibidem Deo servientibus, pro salute anime mee et patris et matris et omnium antecessorum et successorum meorum, dona que pater meus predicte abbacie fecerat, scilicet omne nemus et prata et dominicum quod habebat apud Boeleiam et apud Fraisneiam et masuram Roberti de Boeleia et masuram Roberti filii Goceline et masuram de maresiis et duas garbas decime de toto feodo Hais de Maletot. Dedi etiam post obitum patris mei pro anima ipsius una masuram quam habebam in Torigne juxta ecclesiam Sancti Laurentii, et unum censarium apud Boeleiam qui reddebat mihi annuatim pro duabus acris terre decem et octo denarios et unam minam avene. Dedi preterea predicte abbacie masuram de Caperoneria et masuram de Chefdebof et dimidiam masuram de Caucekeneria, in qua participabat Willelmus Cauceken, quam masuram simul et dimidiam monachi emerint de heredibus Huberti fabri. Concessi etiam predicte abbacie locum Sancti Hylarii de Grainvilla cum quadraginta acris terre, infra quas continetur clausum de Curta Londa et cultura de Hulmello et de proprio blado quietam multuram. Dedi et predictis monachis ecclesia Sancti Stephani de Grainvilla cum omnibus pertinentiis suis et cultuam que adjacet Curte Londe. Hec autem omnia libera et quieta ab omni consuetudine et servitio et exactione et auxilio in

puram et perpetuam elemosinam dedi et concessi. Sciendum etiam quod si aliquis de terra sua que de feodo meo est predictae abbacie dedit, salvo jure meo et dominorum meorum illud concessi, Juliana autem de Sancto Remigio, filia mea, dedit in puram et perpetuam elemosinam monachis de Alneto assensu et voluntate mea pro anima sua et Cecilie matris sue et Roberti fratris sui et omnium antecessorum et successorum suorum apud Formigneium terram valentem unum modium frumenti et unum modium ordeï et octo minas avene cum regardis hominum preictas terras tenentium. Et notandum quod talis conventio facta est inter me et dominum Johannem abbatem de Alneto et monachos ejus quod abbas et monachi de Alneto de seculo quatuor clericos ad religionem suscipient, et pro me et meis facient monachos, et hec omnia supradicta apud Alnetum recipient et possidebunt donec processu temporis Domino disponente heredes mei possint abbatiam competenter et sufficienter construere in loco qui dicitur Boeleia et hoc consilio et providentia Baiocensis et Constantiensis episcoporum et trium Cisterciensis ordinis abbatum et trium Normannie baronum et quando hoc fient, tunc abbas et conventus de Alneto abbatem et conventum ad locum qui dicitur Boeleia Deo auxiliante destinabunt, et omnia supradicta ad eundem locum pertinentia abbati et conventui de Boeleia ex integro relinquent perpetuo possidenda. Igitur quia breves dies hominis sunt et malitia hominum crevit super terram et a memoria cito possint deleri ea que scripture testimonio non traduntur, dignum duxi ista omnia scripto mandare et sigilli mei attestacione cum subscriptis testibus confirmare. Richerio de Condeio, Willelmo de Capella, sacerdotibus, Petro de Lambervilla, Durando filio Tei, Willelmo de Fagunella, Roberto de Vilerbaudon, Henrico de Columbers.